



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

28. De Deo Governatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

CONSIDERATIO XXVIII

De Deo gubernatore.

Gubernator dicitur; 1. quia mundum iam conditum cum omnibus rerum naturis, quæ mundo continentur, conseruat; & mouet regitque omnia congruenter naturæ cuiusque, singula ad proprias functiones dirigens, & singulis cooperans: rerum inferiorum ortum & interitum miro modo per corporum cælestium motus aptissima vicissitudine continuans.

2. Quia naturam rationalem Angelicam & humanam congruentissimis medijs externis & internis, legibus & exemplis, illustrationibus & affectionibus, minis & promissis, beneficijs & flagellis ad proprium finem dirigit. Et quamuis Diabolo permittat aliquam tentandi & vexandi potestatem ad nostrum exercitium, & maius meritum; ita

tamen illum cohibet, vt parū possit, si velimus illi resistere.

3. Quia ex parte sua omnibus ab initio dedit sufficientissima media ad salutem; & post lapsum etiam sufficientia ex parte sua cōfert omnibus prout ratio huius status patitur; adeo vt per illum non stet quin omnes saluentur.

4. Quia cuique reddet secundum opera sua, idq; in conspectu totius naturæ rationalis, in publico totius mundi iudicio. vt omnibus clarè cōstet æquitas & benignitas gubernationis & iudicij ipsius.

CONSIDERATIO XXIX.

*De Deo Prouisore, Dei que
Prouidentia.*

DEus dicitur *Prouisor* & rerum omnium *prouidentia* habens: 1. quia per ipsius *prouidentiam* omnia in *suis speciebus, & naturis indiuis,*